

1570 dum videretur, attamen in easdem ambiguitates, consilio-
rumque perplexitatem cuncta devolvebantur. Superantio etc-
nim flagitante, ecquidnam ad ea, quæ Senatus petierat, re-
gii responderent? neque quid mente tegerent, neque quid
Rex statueret, enuntiabant; si quid ipse exposceret, respon-
suros affirmabant. Quæ etsi Senatui valde molesta accide-
rent, attamen legatos de rerum statu docere, tempori sese
accommodare, nil prætermitti ad ineundum foedus oportere,
arbitrabatur.

Pii Pontif-
icis pertur-
batio ob
Leucosiam
amissionem.

Pii Pontif-
icis pollici-
ta per ora-
tores &
Nuntium
ad Senatû
delata.

Dum hæc aguntur, inopinati de Andreae Auriae in Sici-
liam reditu nuntii Romam superveniunt. Pompejus Colum-
na, qui Marci Antonii jussu Auriae classem conscenderat,
citato itinere ad urbem contendit: Leucosiam expugnatam,
classium reditum, quæ ab Auria acta sint, quam acriter in
Cyprum profectio adversatus fuerit, exponit. Pontifex in-
genti dolore percussus, modo hominum errata detestari, quæ
Divini Numinis in se iracundiam concitassent; modo nostro-
rum negligentiam incusare; modo Auriae graviter succensere,
quod, se junctis a reliquis consiliis, privatas rationes publicis
commodis prætulisset; nihil Catholico, ac potentissimo Re-
ge dignum egisset. Subinde veritus, ne Veneti infelicibus his-
ce eventis deterriti, potius de componendis cum Selymo re-
bus, quam de foedere ullo cogitarent, Superantium ad se
vocat; humanissimis verbis alloquitur: *Quacumque in sua
potestate, & auctoritate sita sint, omnia ad opem Reipubli-
cæ ferendam collaturum; si a reliquis auxilia denegentur,
nunquam se defuturum pollicetur; bono animo esse Senatum
hortetur, neque se ob acceptam cladem demittere: non omnes
belli eventus secundos esse posse; fortunam frequenter domina-
ri; attamen illius malignitatem hominumque peccata corrigi
prudentia, ac virtute posse; quæ si adhibeantur, ex victis
sepius victores efficere consuevisse: itaque mandata foederis
percutiendi ampliora Senatus mittat: omni opera, ac studio,
ut in eo sanciendo Venetæ dignitatis, atque utilitatis ratio
habeatur, curaturum, atque ut in posterum rectius cuncta
administrentur, enixurum.* Exinde in Zannii laudes effusus,
illius constantiam, egregium ad gloriam impetum extulit,
quod nullis laboribus debilitatus, nullis ex iis, quæ Venetæ
claf-